



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De vitijs, quæ opponuntur liberalitati, & primo de auaritia. Quæstio 118.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

bono exteriorum rerum. Alio modo ordinatur liberalitas ad aliquod bonum ex consequenti. Et secundum hoc liberalitas ordinatur in omnia bona prædicta. Ex hoc enim quod homo non est amatius pecuniæ, sequitur quod de facili utatur ea & ad seipsum, & ad utilitatem aliorum, & ad honorem Dei. Et secundum hoc habet quamdam excellentiam, ex hoc quod utilis est ad multa. Quia tamen vnumquodque magis iudicatur secundum id quod primo, & per se competit ei, quam secundum id quod consequenter se habet; ideo dicendum est liberalitatem non esse maximam virtutum.

Ad primum ergo dicendum, quod datio diuina, prouenit ex eo quod amat homines, quibus dat; non autem ex eo quod afficiatur ad ea quæ dat. Et ideo magis videtur pertinere ad charitatem, quæ est maxima virtutum, quam ad liberalitatem.

Ad secundum dicendum, quod quælibet virtus participat rationem boni, quantum ad emissionem proprii actus. Actus autem quarundam aliarum virtutum meliores sunt pecunia, quam emittit liberalis.

Ad tertium dicendum, quod liberales maximè amantur, non quidem amicitia honesti, quasi sint meliores; sed amicitia utilis, quia sunt utiliores in exterioribus bonis quæ communiter homines maximè cupiunt. Et etiam propter eandem causam clari redduntur.

QVÆST. CXVIII.

De vitijs liberalitati oppositis: & primò, de auaritia, in octo articulos diuisa.

Dinde considerandum est de vitijs oppositis liberalitati. Et primo de auaritia. Secundo, de prodigalitate.

- ¶ Circa primum quærentur octo.
- ¶ Primo, verum auaritia sit peccatum?
- ¶ Secundo, verum sit speciale peccatum?
- ¶ Tertio, cui virtuti opponatur.
- ¶ Quarto, verum sit peccatum mortale?
- ¶ Quinto,

- ¶ Quinto, vtrum sit grauissimum peccatorum?
 ¶ Sexto, vtrum sit carnale, vel spirituale peccatum?
 ¶ Septimo, vtrum sit vitium capitale?
 ¶ Octauo, de filiabus eius.

ARTIC. I.

Vtrum auaritia sit peccatum?

596
 Inf. 9. 119.
 c. 1. spe, de
 rej. spol.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod auaritia non sit peccatum. Dicitur enim auaritia quasi æris auaritas: quia scilicet in appetitu pecuniæ consistit, per quam omnia exteriora bona intelligi possunt. Sed appetere exteriora bona non est peccatum: naturaliter enim homo ea appetit, tum quia subiecta sunt homini naturaliter, tum quia per ea vita hominis conseruatur: vnde & substantia hominis dicuntur. Ergo auaritia non est peccatum.

¶ 2 Præterea, Omne peccatum, aut est in Deum, aut in proximum, aut in seipsum, vt supra * habitum est. Sed auaritia non est propriè peccatum contra Deum. Non enim opponitur neque religioni, neque virtutibus theologicis, quibus homo ordinatur in Deum. Neque etiam est peccatum in seipsum. Hoc enim propriè pertinet ad gulam, & luxuriam, de qua Apostolus dicit 1. ad Corint 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat. Similiter etiam non videtur esse peccatum in proximum: quia per hoc quod homo retinet sua, nulli facit iniuriam. Ergo auaritia non est peccatum.

¶ 3 Præterea, Ea quæ naturaliter adueniunt, non sunt peccata. Sed auaritia naturaliter consequitur senectutem, & quemlibet defectum, vt * Philosophus dicit in 4. Ethicorum. Ergo auaritia non est peccatum.

ca 1 ali-
 quantu ñ
 ante fia.
 60. 5.

SED contra est, quod dicitur ad Hebr. vlt. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus.

RESPONDEO dicendum, quod in quibuscumque bonum consistit in debita mensura, necesse est quod per excessum, vel diminutionem illius mensuræ ma-
 lum

lum proveniat. In omnibus autem, quæ sunt propter finem, bonum consistit in quadam mensura. Nam ea quæ sunt ad finem, necesse est commensurari fini, sicut medicina sanitati, ut patet per *Philosophum in 1. Politic. Bona autem exteriora habent rationem vtilium ad finem, sicut dictum est. Unde necesse est, quod bonum hominis circa ea consistat in quadam mensura: dum scilicet homo secundum aliquam mensuram querit habere exteriores diuitias, prout sunt necessariae ad vitam eius secundum suam conditionem. Et ideo in excessu huius mensuræ consistit peccatum: dum scilicet aliquis supra debitum modum vult eas vel acquirere, vel retinere: quod pertinet ad rationem auaritiæ, quæ diffinitur esse immoderatus amor habendi. Unde patet quod auaritia est peccatum.

*a. 6. d. me.
ca. 5.
cir. st. 5.
q. prae.
a. 3. q. 1.
2. q. 2. ar.
1.*

Ad primum ergo dicendum, quod appetitus rerum exteriorum est homini naturalis, ut eorum quæ sunt propter finem. Et ideo in tantum vicio caret, in quantum continetur sub regula sumpta ex ratione finis. Auaritia autem hanc regulam excedit: & ideo est peccatum.

Ad secundum dicendum, quod auaritia potest importare immoderantiam circa res exteriores dupliciter. Vno modo immediatè, quantum ad acceptationem, vel conseruationem ipsarum, ut scilicet homo plus debito eas acquirat, vel conseruet. Et secundum hoc est directe peccatum in proximum: quia in exterioribus diuitijs non potest vnus homo superabundare, nisi alteri deficiat, quia bona temporalia non possunt simul possideri à multis. Alio modo potest importare immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad diuitias habet: puta quod immoderate aliquis diuitias amet, aut desideret, aut delectetur in eis. Et sic auaritia est peccatum hominis in seipsum: quia per hoc deordinatur eius affectus, licet non deordinetur corpus, sicut per vitia carnalia. Ex consequenti autem est peccatum in Deum, sicut & omnia pec-

peccata mortalia, in quantum homo propter bonum temporale contemnit æternum.

Ad tertium dicendum, quod inclinationes naturales sunt regulandæ secundum rationem, quæ principatum tenet in natura humana. Et ideo quamuis senes propter naturæ defectum avidius exteriorum rerum inquirent subsidia, sicut & omnis indigens quarit suæ indigentia supplementum: non tamen à peccato excusantur, si debitam rationis mensuram circa diuitias excedant.

ARTIC. II.

597 *Vtrum auaritia sit speciale peccatum?*

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod auaritia non sit speciale peccatum. Dicit enim ¶ *August. in lib. de Liber. arb.* Auaritia, quæ Græcè philargyria dicitur, non in solo argento, vel in nummis, sed in omnibus rebus quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda est. Sed in omni peccato est cupiditas immoderata alicuius rei: quia peccatum est, spreto bono incommutabili, bonis commutabilibus inhærere, ut supra * habitum est. Ergo auaritia est generale peccatum.

¶ 2 Præterea, Secundum ¶ *Isidor. in lib. Etymol. me. to. 1.* Auarus dicitur quasi avidus æris, id est, pecuniæ. Unde & in Græco auaritia philargyria nominatur, id est, amor argenti. Sed sub argento, per quod pecunia significatur, significantur omnia bona exteriora, quorum pretium potest numismate mensurari, ut supra habitum ¶ est. Ergo auaritia consistit in appetitu cuiuslibet exterioris rei. Ergo videtur esse generale peccatum.

¶ 3 Præterea, Super illud ad Rom. 7. Nam concupiscentiam nesciebam, &c. dicit * *Glossa*, Bona est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omne malum prohibet. Videtur autem lex specialiter prohibere concupiscentiam auaritiæ. Unde dicitur Exodi c. 4. a me. 20. Non concupisces rem proximi tui. Ergo concupiscentia auaritiæ est omne malum. Et ita auaritia

* Est ex
Aug in
li. de spi.
et lit. r. a.
c. 4. a me.
20. 3.

ritia est generale peccatum.

SED contra est, quod ad Rom. 1. Auaritia connume-
ratur inter alia specia peccata, vbi dicitur, Repletos
omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, &c.

RESPONDEO dicendum, quod peccata fortium-
tur speciem secundum obiecta, vt supra * habitum est: *1.2.9.72.º*
obiectum autem peccati est illud bonum, in quod *ar. 1.º*
tendit inordinatus appetitus. Et ideo vbi est specialis
ratio boni, quod inordinate appetitur, ibi est specia-
lis ratio peccati. Alia autem est ratio boni utilis, &
boni delectabilis. Diuitie autem secundum se ha-
bent rationem utilis. Ea enim ratione appetuntur,
in quantum in vsum hominis cedunt. Et ideo specia-
le quoddam peccatum est auaritia, secundum quod
est immoderatus amor habendi possessiones, quæ no-
mine pecunie designantur: ex qua sumitur auaritiae
nomen. Verum quia verbum habendi secundum
primariam impositionem ad possessiones pertinere
videtur, quarum sumus totaliter domini, ad multa
alia deriuatur, (sicut dicitur homo habere sanitatem,
uxorem, vestimentum, & alia huiusmodi, vt patet in
prædicamentis): per consequens etiam & nomen aua-
ritiae ampliatum est ad omnem immoderatum appe-
titum habendi quancumque rem: sicut * Greg. dicit *ho. 16. in*
in quadam Homil. quod auaritia est non solum pecu- *Ex. inter*
nie, sed etiam scientiæ & altitudinis, cum supra de *princ. &*
bitum modum sublimitas ambitur. Et secundum hoc *med.*
auaritia non est speciale peccatum. Et hoc etiam mo-
do loquitur * Aug. de auaritia in auaritate indu- ** citata*
ctæ. Vnde patet responsio Ad primum. *in arg. 1.º*

Ad secundum dicendum, quod omnes res exte-
res, quæ veniunt in vsum humanæ vitæ, nomine pecu-
niæ intelliguntur, in quantum habent rationem boni
utilis. Sunt autem quadam exteriora bona, quæ potest
aliquis pecunia consequi, sicut voluptates, & honores,
& alia huiusmodi, quæ habent aliam rationem appeti-
bilitatis. Et ideo illorum appetitus non proprie dicitur
auaritia, secundum quod est vitium speciale.

Ad

Ad tertium dicendum, quod glossa illa loquitur de concupiscentia inordinata cuiuscumque rei. Potest enim intelligi, quod per prohibitionem concupiscentiarum possessorum, prohibeantur quarumcumque rerum concupiscentia, quæ per res possessas haberi possunt.

ARTIC. III.

Utrum auaritia opponatur liberalitati?

398

*Su. 9. 107
a. 2. co. et
9. 118. a.
5. ad 3.
Et ma. 9.
12. ar. 9.
ad 10. Et
4. Eth. le.
4. per 10.
Et le. 5.
fn.
* ho. 6. ex
varijs in
Matt. 10.
eis post
me. 10. 2.
† l. 5. c. 1.
Et 2. 2. 5.
† l. 2. c. 7.
et l. 4. c. 1.
10. 5.
* l. 5. c. 1.
Et 2.*

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod auaritia non opponatur liberalitati. Quia super illud Matt. 5. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, Chrysofost. dicit, quod duplex est iustitia, vna generalis, & alia specialis, cui opponitur auaritia. Et hoc idem Philosophus ¶ dicit in 5. Ethic. Ergo auaritia non opponitur liberalitati.

¶ 2 Præterea, Peccatum auaritiæ in hoc consistit, quod homo transcendit mensuram in rebus possessis. Sed huiusmodi mensura statuitur per iustitiam. Ergo auaritia directe opponitur iustitiæ, & non liberalitati.

¶ 3 Præterea, Liberalitas est virtus media inter duo vitia contraria, ut patet per ¶ Philosophum in 2. & 4. Ethic. Sed auaritia non habet peccatum contrarium, & oppositum, ut patet per * Philosophum in 5. Ethicorum. Ergo auaritia non opponitur liberalitati.

SED contra est, quod sicut dicitur Eccl. 5. Auarus non implebitur pecunia; & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Sed non impleri pecunia, & inordinatè eas amare, est contrarium liberalitati, quæ in appetitu diuitiarum medium tenet. Ergo auaritia opponitur liberalitati.

RESPONDEO dicendum, quod auaritia importat immoderantiam quamdam circa diuitias dupliciter. Vno modo, immediatè circa ipsam acceptionem, & conseruationem diuitiarum, in quantum scilicet aliquis acquirit pecuniam vltra debitum, aliena surripiendo, vel retinendo: & sic opponitur iustitiæ. Et hoc modo

modo accipitur auaritia Eze. h. 22. vbi dicitur, Prin-
cipis eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam
ad effundendum sanguinem, & auara lucra sectanda.
Alio modo importat immoderantiam circa interio-
res affectiones diuitiarum: puta cum quis nimis amat,
vel desiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis,
etiam si nolit rapere aliena. Et hoc modo auaritia
opponitur liberalitati, quæ moderatur huiusmodi af-
fectiones, vt * dictum est. Et sic accipitur auaritia, 2.
ad Corinth. 9. Præparent re promissam benedictionem
hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi
auaritiam *, gloff. scilicet vt doleant pro dato, &
parum sit quod dent.

q. præc. 60
6. 9. a. 1.
ad 1. 9.
a. 3. ad 3
* in gloff.
interl.

Ad primum ergo dicendum, quod Chryf. & Philo-
sophus loquuntur de auaritia primo modo dicta.
Auaritiam autem secundo modo dictam nominat Phi-
losophus illiberalitatem.

Ad secundum dicendum, quod iustitia propriè sta-
tuit mensuram in acceptionibus, & conseruationibus
diuitiarum, secundum rationem debiti legalis, vt sci-
licet homo non accipiat, nec retineat alienum. Sed
liberalitas constituit mensuram rationis: principaliter
quidem in interioribus affectionibus, & per con-
sequens in exteriori acceptione, & conseruatione
pecuniarum, & emissionem earum, secundum quod ex
interiori affectione procedunt, non obseruando ratio-
nem debiti legalis, sed debiti moralis, quod attendi-
tur secundum regulam rationis.

Ad tertium dicendum, quod auaritia secundum
quod opponitur iustitiæ, non habet vitium opposi-
tum: quia auaritia consistit in plus habendo quam
debeat secundum iustitiam. Et huic opponitur minus
habere, quod non habet rationem culpæ, sed pænæ.
Sed auaritia secundum quod opponitur liberalitati,
habet vitium prodigalitatæ oppositum.

599
Ma. 9. 13
a. 2. c. 12
pe. de re-
sit. spol.

Vtrum auaritia semper sit peccatum mortale?
Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod auaritia semper sit peccatum mortale. Nullus enim est dignus morte, nisi pro peccato mortali. Sed propter auaritiam homines digni sunt morte. Cùm enim Apostolus ad Rom. 1. pramississet, Repletos omni iniquitate, fornicatione, auaritia, &c. subdit, Qui talia agunt, digni sunt morte. Ergo auaritia est peccatum mortale.

In ser. ad
Auites a-
uavos de
clinando
ad fin.

¶ 2 Præterea, Minimum in auaritia est, quod aliquis inordinatè retineat sua. Sed hoc videtur esse peccatum mortale. Dicit enim * Basilius, Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam conseruas, indigentis argentum quod possides. Quo circa tot iniuriaris, quot exhibere valeres. Sed iniuriari alteri, est peccatum mortale: quia contrariatur dilectioni proximi. Ergo multo magis omnis auaritia est peccatum mortale.

Elicitur
ex Ho. 15
in Matt.
in op im-
perf. decli-
nando ad
fi. 10. 2.
† Est Au.
in l. de fi-
de, ex ope-
rib ca. 16
pari an-
te me. t. 4
* a. prac.

¶ 3 Præterea, Nullus excogatur spiritali cecitate, nisi per peccatum mortale, quod animam priuat lumine gratiæ. Sed secundum * Chrysoft. tenebra animæ est pecuniarum cupido. Ergo auaritia, quæ est pecuniarum cupido, est peccatum mortale.

SED contra est, quod 1. ad Cor. 3. super illud, Si quis ædificauerit super hoc fundamentum, &c. dicit Gloss. quod lignum, fœnum, & stipulam superædificat ille qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo: quod pertinet ad peccatum auaritiæ. Ille autem qui ædificat lignum, fœnum, & stipulam, non peccat mortaliter, sed venialiter. De eo enim dicitur quod saluus erit sic quasi per ignem. Ergo auaritia quandoque est veniale peccatum.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum * est, auaritia dupliciter dicitur. Vno modo, secundum quod opponitur iustitiæ. Et hoc modo ex genere suo est peccatum mortale. Sic enim ad auaritiã pertinet quod aliquis iniuste accipiat, vel retineat res alienas: quod pertinet

net ad rapinam, vel furtum, quæ sunt peccata mortalia, vt supra * habitum est. Coningit tamen in hoc genere auaritiæ aliquid esse peccatum veniale, propter imperfectionem actus: sicut supra † dictum est, cū de furto ageretur. Alio modo potest accipi auaritia secundum quod opponitur liberalitati. Et secundum hoc importat inordinatum amorem diuitiarum. Si ergo in tantum amor diuitiarum crescat, quod præferatur charitati, vt scilicet propter amorem diuitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi: sic auaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, vt scilicet homo, quamuis superflue diuitias amet, non tamen præferat earum amorē amori diuino, vt si propter diuitias non velit aliquid facere contra Deum & proximum: sic auaritia est peccatum veniale.

q. 66. a. 6
 & 8.
 q. 66. a. 6
 ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod auaritia connumeratur peccatis mortalibus, secundum illam rationem qua est peccatum mortale.

Ad secundum dicendum, quod Basilius loquitur in illo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habitorum.

Ad tertium dicendum, quod cupido diuitiarum obtenebrat animam propriè, quando excludit lumen charitatis, præferendo amorem diuitiarum amori diuino.

ARTIC. V.

600

Utrum auaritia sit maximum peccatorum?

*Psal. 15.
 co. 5. fi.
 li. 1. in c.
 cuius tit.
 est, Vera
 magnanimitas
 in
 du. bus se-
 ta est.*

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod auaritia sit maximum peccatorum. Dicitur enim Eccl. 10. Auaro nihil est scelestius. Et postea subditur, Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam vanalem habet. Et * Tullius dicit in 1. de Offic. Nihil est tam angusti animi, tanque parui, quàm amare pecuniam. Sed hoc pertinet ad auariciam. Ergo auaritia est grauissimum peccatorum.

Sec. Sec. Vol. ij.

T t

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Tanto aliquod peccatum est grauius, quanto magis charitati contrariatur. Sed auaritia maximè contrariatur charitati. Dicit enim * Aug. in lib 83. quæst. quòd venenum charitatis, est cupiditas. Ergo auaritia est maximum peccatorum.

q. 36. pau
lo à prin.
30. 4.

li. 4. c. 1.
declinan
do ad fi.
30. 5.

¶ 3 Præterea, Ad grauitatem peccati pertinet quòd fit incurabile. Vnde & peccatum in Spiritum sanctum dicitur grauissimum, quia est irremissibile. Sed auaritia est peccatum insanabile: vnde dicit * Philosophus in quarto Ethicor. quòd senectus & omnis impotentia illiberales facit. Ergo auaritia est grauissimum peccatorum.

¶ 4 Præterea, Apostolus dicit ad Ephes 5. quòd auaritia est idolorum seruitus. Sed idololatria computatur inter grauissima peccata. Ergo & auaritia.

SED contra est, quòd adulterium est grauius peccatum quàm furtum, vt habetur Prouerb. 6 Furtum autem pertinet ad auaritiam, Ergo auaritia non est grauissimum peccatorum.

RESPONDEO dicendum, quòd omne peccatum ex hoc ipso quòd est malum, consistit in quadam corruptione, siue priuatione alicuius boni: in quantū autem est voluntarium; consistit in appetitu alicuius boni. Dupliciter ergo ordo peccatorum potest attendi. Vno modo, ex parte boni quòd per peccatum, contemnitur, vel corrumpitur: quòd quanto maius est, tanto peccatum grauius est. Et secundum hoc peccatum, quòd est contra Deum, est grauissimum: & sub hoc est peccatum quòd est contra personam hominis: sub quo est peccatum quòd est contra res exteriores, quæ sunt ad vsum hominis deputatæ: quòd videtur ad auaritiam pertinere. Alio modo potest attendi gradus peccatorum ex parte boni, cui inordinate subditur appetitus humanus: quòd quanto minus est, tanto peccatum est deformius. Turpius est enim subesse inferiori bono quàm superiori. Bonum autem exteriorum rerum est infimum inter humana bona. Est enim minus quàm bonum corporis, quòd etiam

etiam minus est quàm bonum animæ, quod exceditur à bono diuino. Et secundum hoc peccatum auaritiæ quo appetitus humanus subiicitur etiam exterioribus rebus, habet quodammodo deformitatem maiorem. Quia tamen corruptio, vel priuatio boni, formaliter se habet in peccato, conuersio autem ad bonum commutabile, materialiter: magis est iudicanda grauitas peccati ex parte boni quod corrumpitur, quam ex parte boni, cui subiicitur appetitus. Et ideo dicendum est, quòd auaritia non est simpliciter maximum peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd auctoritates illæ loquuntur de auaritia ex parte boni, cui subditur appetitus. Vnde & in Ecclesiast. pro ratione subditur, quòd auarus animam suam habet venalem: quia videlicet animam suam, id est, vitam suam exponit periculis pro pecunia. Et ideo subdit, Quoniam in vita sua proiecit, id est, contempsit, intima sua: ut scilicet pecuniâ lucraretur. * Tullius etiam addit hoc esse angusti animi, ut scilicet velit pecuniâ subiici.

loc cit. in ar.

Ad secundum dicendum, quòd Augustinus ibi accipit cupiditatem generaliter cuiuscumque temporalis boni, non secundum quod accipitur specialiter pro auaritia. Cupiditas enim cuiuscumque temporalis boni est venenum charitatis, in quantum scilicet homo spernit bonum diuinum propter hoc, quòd inhaeret bono temporali.

Ad tertium dicendum, quòd aliter est insanabile peccatum in Spiritum sanctum, & aliter auaritia. Nam peccatum in Spiritum sanctum est insanabile, ex parte contemptus: puta, quia homo contemnit, vel misericordiam, vel iusticiam diuinam, aut aliquid horum, per quæ hominis peccata sanantur. Et ideo talis insanabilitas pertinet ad maiorem grauitatem peccati. Auaritia verò habet insanabilitatem ex parte defectus humani: in quem scilicet semper procedit humana natura: quia quo aliquis est magis deficiens, eo magis indiget adminiculo

T t 3 exte-

exteriorum rerum: & ideo magis in auaritiā labitur. Vnde per talem insanabilitatem non offenditur peccatum esse grauius: sed per hoc est quodammodo periculosius.

Ad quartum dicendum, quod auaritia comparatur idololatriæ per quandam similitudinem quam habet ad ipsam: quia sicut idololatra subijcit se creaturæ exteriori, ita etiam auarus: non tamen eodem modo. Sed idololatra quidem subijcit se creaturæ exteriori ut exhibeat ei cultum diuinum. Auarus autem subijcit se creaturæ exteriori, immoderatè eam concupiscendo ad vsum, non tamen ad cultum. Et ideo non oportet quod auaritia habeat tantam grauitatem, quantum habet idololatria.

ARTIC. VI.

601

Vtrum auaritia sit peccatum spirituale?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod auaritia non sit peccatum spirituale. Peccata enim spiritualia videntur esse circa spiritualia bona. Sed materia auaritiæ sunt bona corporalia, scilicet exteriores diuitiæ. Ergo auaritia non est peccatum spirituale.

¶ 2 Præterea, Peccatum spirituale contra carnale diuiditur. Sed auaritia videtur esse peccatum carnale. Sequitur enim corruptionem carnis: ut patet in senibus, qui propter naturæ carnalis defectum in auaritiā incidunt. Ergo auaritia non est peccatum spirituale.

¶ 3 Præterea, Peccatum carnale est per quod etiam corpus hominis deordinatur, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat. Sed auaritia etiam corporaliter hominem vexat. Vnde & * Chryf. Marc. 5. comparat auarum dæmoniaco, qui in corpore vexatur. Ergo auaritia non videtur esse peccatum spirituale.

SED contra est, quod † Greg. 31. Moral. computat auaritiā cum vitijs spiritualibus.

RESPONDEO dicendum, quod peccata precipuè in affectu consistunt. Omnes autem affectiones animæ, siue passiones, terminantur ad delectationes & tristi-

hom. 29.
in Mar.
à med. il-
lius to. 2.
† l. 31. c.
31.

tristitias, ut patet per * Philos. in 2. Ethic. Delectationum autem quedam sunt carnales, & quedam spirituales. Carnales quidem delectationes dicuntur, quæ in sensu carnis complentur, sicut delectationes ciborum, & venerorum. Delectationes verò spirituales dicuntur quæ complentur in sola animæ apprehensione. Illa ergo peccata dicuntur carnalia, quæ perficiuntur in delectationibus carnalibus; illa verò dicuntur spiritualia, quæ perficiuntur in spiritualibus delectationibus absque carnali delectatione. Et huiusmodi est avaritia. Delectatur enim avarus in hoc quod considerat se possessorem diuitiarum. Et ideo avaritia est peccatum spirituale.

*l. 2 c. 5.
cir. prin.
10. 5.*

Ad primum ergo dicendum, quod avaritia circa corporale obiectum non querit delectationem corporalem, sed solum animalem: prout scilicet homo in hoc delectatur, quod diuitias possideat. Et ideo non est peccatum carnale. Ratione tamen obiecti medium est inter peccata purè spiritualia, quæ querunt delectationem spirituales circa obiecta spiritualia, sicut superbia est circa excellentiam: & vitia purè carnalia, quæ querunt delectationem purè corporalem circa obiectum corporale.

Ad secundum dicendum, quod motus recipit speciem secundum terminum ad quem, non autem secundum terminum à quo. Et ideo vitium dicitur carnale ex hoc, quod tendit in delectationem carnalem; non autem ex eo, quod procedit ex aliquo defectu carnis.

Ad tertium dicendum, quod * Chrysof. comparat avarum dæmoniaco, non quia vexetur in carne sicut dæmoniaco, sed per oppositum: quia sicut dæmoniacus ille, de quo legitur Marc. 5 se denudabat, ita avarus se superfluis diuitijs onerat.

*loc cit. in
arg. 1.*

ARTIC. VII.

Utrum avaritia sit vitium capitale?

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod avaritia non sit vitium capitale. Avaritia enim opponitur liberalitati, sicut medio: & prodigalitati, sicut

*602
2. dis. 43.
q. 2. ar. 2.
Et m. 1.
q. 8. ar. 1.
cor. 9.
13. ar. 3*

Et 3 extre-

extremo. Sed neque liberalitas est principalis virtus, neque prodigalitas vitium capitale. Ergo auaritia non debet poni vitium capitale.

1. 2. q. 84
a. 3. c. 4.

¶ 2 Præterea, Sicut supra * dictum est, illa dicuntur esse vitia capitalia, quæ habent principales fines ad quos ordinantur fines aliorum vitiorum. Sed hoc non competit auaritiæ: quia diuitiæ non habent rationem finis, sed magis rationem eius quod est ad finem, vt dicitur in 1. * Ethicorum. Ergo auaritia non est vitium capitale.

1. 1. Ethic.
c. 5. cir. f.
20. 5.
† 1. 15. moral.
7 al. c. 12.
c. c. 14.
in prin.

¶ 3 Præterea, † Gregor. dicit 15. Moral. quod auaritia quandoque oritur ex elatione, quandoque ex timore. Dum enim quidam deficere sibi ad sumptuum necessaria æstimant, mentem ad auaritiam relaxant. Sunt alij qui dum potiores videri appetunt, ad alienarum rerum ambitum succeduntur. Ergo auaritia magis oritur ab alijs vitijs, quam ipsa sit vitium capitale respectu aliorum.

l. 31. c. 31

SED contra est, quod * Gregor. 31. Moral. ponit auaritiam inter vitia capitalia.

1. 2. q. 84
a. 3. c. 4

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra * dictum est, vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur secundum rationem finis: qui cum sit multum appetibilis, propter eius appetitum homo procedit ad multa facienda, vel bona vel mala. Finis autem maxime appetibilis est beatitudo vel felicitas, qui est vicinus finis humanæ vitæ, vt supra * habitum est. Et ideo quanto aliquid magis participat conditiones felicitatis, tanto magis est appetibile. Est autem vna de conditionibus felicitatis, vt sit per se sufficiens: alioquin non quietaret appetitum tanquam vltimus finis. Sed per se sufficientiam maxime repromittunt diuitiæ, vt * Boetius dicit in 3. de Consol. Cuius ratio est, quia sicut † Philosophus dicit in 5 Ethic. Denario vtimur quasi fideiussore ad omnia habenda. Et Eccle. 10. dicitur, quod pecuniæ obediunt omnia. Et ideo auaritia, quæ consistit in appetitu pecuniæ, est vitium capitale.

l. 3. prin. f.
3 cir. mo.
† 1. 5. ethic.
6. 5. t. 5.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod virtus perficitur secundum rationem. Vitium autem perficitur secundum inclinationem appetitus sensitivi. Non autem ad idem genus principaliter respicit ratio, & appetitus sensitivus. Et ideo non oportet, quod principale vitium opponatur principali virtuti. Unde licet liberalitas non sit principalis virtus, quia non respicit ad principale bonum rationis: avaritia tamen est principale vitium, quia respicit ad pecuniam, quæ habet quandam principalitatem inter bona sensibilia, ratione iam * dicta. Prodigalitas autem non ordinatur ad aliquem finem principaliter appetibilem, sed magis videtur procedere ex defectu rationis. Unde * Philosophus dicit in 4. Ethicor. quod prodigus magis dicitur vanus, quam malus.

in co. ar.

l. 4. c. 1. a med. t. 5.

Ad secundum dicendum, quod pecunia ordinatur quidem ad aliud sicut ad finem. In quantum tamen utilis est ad omnia sensibilia acquirenda, continet quodammodo virtute omnia. Et ideo habet quandam similitudinem felicitatis, ut * dictum est.

in co. ar.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet vitium capitale interdum à quibusdam alijs oriri, ut * dictum est: dum tamen ex eo alia vitia soleant plerumque oriri.

** q. 36. a.*

4. ad 1. et

1. 2. q. 84

ar. 4.

ARTIC. VIII.

Utrum proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio, sint avaritiæ filia?

603

AD octavum sic proceditur. Videtur, quod non sint avaritiæ filia, quæ dicuntur, scilicet proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio. Avaritia enim opponitur liberalitati, ut * dictum est. Proditio autem, fraus, & fallacia, opponuntur prudentiæ, periuria religioni, inquietudo spei vel charitati, quæ quiescit in amato, violentia opponuntur iustitiæ, obduratio misericordiae. Ergo huiusmodi vitia non pertinent ad avaritiæ.

sup. q. 55.

a. 8. Et 2

d. 42. q. 2

art. 3. Et

mal. q. 8.

a. 1. co. et

q. 13. a. 3

** art. 3.*

¶ 2 Præterea, Proditio, dolus, & fallacia, ad idem pertinere videntur, scilicet ad proximi deceptionem. Ergo non debent enumerari tanquam diuersæ filię avaritiæ.

¶ 3 Præterea, Isidor. ponit nouem filias, videlicet mendacium, fraus, furtum, periurium, & turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas, rapacitas. Ergo prima assignatio filiarum fuit insufficiens.

* l. 4. c. 1.
declinan
do ad fi.

¶ 4 Præterea, * Philosophus in 4. Ethicor. ponit multa genera vitiorum pertinentium ad avaritiã, quam nominat liberalitatem, videlicet parcos, tenaces, chimibiles, liberales operationes operantes, & de meretricio pastos, & vsurarios, aleatores, & mortuorum spoliatores, & latrones. Ergo videtur, quod prædicta enumeratio sit insufficiens.

l. 4. Ethic.
c. 1. c. 17. fi.

¶ 5 Præterea, Tyranni maximè violentias subditis inferunt. Dicit autem * Philosophus ibidem, quod tyrannos ciuitates desolantes, & sacra prædantes non dicimus illiberales, id est, auaros. Ergo violentia non debet poni filia avaritiæ.

l. 3. c. 31

SED contra est, quod * Gregor. 31. Moral. assignat avaritiæ filias prius enumeratas.

RESPONDEO dicendum, quod filię avaritiæ dicuntur vitia, quæ ex ipsa oriuntur, & præcipuè secundum appetitum finis. Quia verò avaritia est superfluous amor habendi diuitias, in duobus excedit. Primo enim superabundat in retinendo. Et ex hac parte oritur ex avaritia obduratio contra misericordiam: quia scilicet cor eius misericordia non emollitur, vt de diuitijs suis subueniat miseris. Secundo, ad avaritiã pertinet superabundare in accipiendo. Et secundum hoc avaritia potest considerari dupliciter. Vno modo secundum quod est in affectu: & sic ex avaritia oritur inquietudo, in quantum ingerit homini sollicitudinem, & curas superfluas. Auarus enim non implebitur pecunia, vt dicitur Eccles. 5. Alio modo potest considerari in effectu. Et sic in acquirendo aliena, vitur quandoque quidem vi, quod pertinet

ad

ad violentias : quandoque autem dolo. Quod quidem si fiat in verbo, erit fallacia quantum ad simplex verbum : periurium autem, si addatur confirmatio iuramenti. Si autem dolus committatur in opere, sic quantum ad res, erit fraus: quantum autem ad personas, erit proditio : vt patet de Iuda qui ex avaritia, prodidit Christum.

Ad primum ergo dicendum, quod non oportet filias alicuius peccati capitalis ad idem genus vitij pertinere : quia ad finem vnus vitij, possunt ordinari etiam peccata alterius generis. Aliud est enim peccatum habere filias, & peccatum habere species.

Ad secundum dicendum, quod illa tria distinguuntur, sicut * dictum est.

Ad tertium dicendum, quod illa nouem reducuntur ad septem prædicta. Nam mendacium & falsum testimonium continentur sub fallacia. Falsum enim testimonium est quædam specificatio mendacij, sicut & furtum est quædam specificatio fraudis: vnde sub fraude continetur. Appetitus autem turpis lucri pertinet ad inquietitudinem. Rapacitas autem continetur sub violentia, cum sit species eius. Inhumanitas autem est idem quod obduratio contra misericordiam.

Ad quartum dicendum, quod illa quæ ponit Arist. sunt illiberalitatis vel avaritiæ species, magis quàm filij: potest enim aliquis dici illiberalis, vel auarus, ex eo quod deficit in dando : & si quidem parum det, vocatur parcus : si autem nihil, tenax : si autem cum magna difficultate det, vocatur chimibilis, quasi chimini venditor : quia de paruis magnam vim facit. Quandoque autem aliquis dicitur illiberalis, vel auarus: quia excedit in accipiendo. Et hoc dupliciter. Vno modo, quia turpiter lucratur, vel vilia & seruilia opera exercendo per illiberales operationes: vel quia de aliquibus vitiosis actibus lucratur, sicut de meretricio, vel de aliquo huiusmodi. Vel quia lucratur de eo, quod gratis oportet concedere: sicut vsurarij. Vel quia lucratur parua cum magno labore. Alio modo, quia iniu-

*in corpore
te ars.*

* chiminopolis,
chimnopristis.

666 QVÆST. CXIX. ART. I.
iniuste lucratur, vel viuis vim inferendo, sicut latrones: vel mortuos spoliando, vel ab amicis auferendo, sicut aleatores.

Ad quintum dicendum, quod sicut liberalitas est circa mediocres pecunias, ita & illiberalitas. Vnde tyranni qui magna per violentiam auferunt, non dicuntur illiberales, sed iniusti.

QVÆST. CXIX.

De prodigalitate, in tres articulos diuisa.

Deinde considerandum est de prodigalitate.

¶ Et circa hoc queruntur tria.

¶ Primo, verum prodigalitas auaritiæ opponatur?

¶ Secundo, verum prodigalitas sit peccatum?

¶ Tertio, verum sit grauius peccatum, quam auaritia?

ARTIC. I.

Vtrum prodigalitas opponatur auaritiæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod prodigalitas non opponatur auaritiæ. Opposita enim non possunt simul esse in eodem. Sed aliqui sunt simul prodigi, & auari. Ergo prodigalitas non opponitur auaritiæ.

604
sup. q. 118
a. 3. ad 3.
et inf. a.
2. et 3.
cor.

¶ 2. Præterea, Opposita sunt circa idem. Sed auaritia, secundum quod opponitur liberalitati, est circa passiones quasdam, quibus homo afficitur ad pecuniam. Prodigalitas autem non videtur esse circa aliquas animæ passiones: non enim afficitur circa pecunias, nec circa aliquid aliud huiusmodi. Non ergo prodigalitas opponitur auaritiæ.

1. 2. q. 72
ar. 3.

¶ 3. Præterea, Peccatum principaliter recipit speciem à fine, vt supra * habitum est. Sed prodigalitas semper videtur ordinari ad aliquem finem illicitum, propter quem sua bona expendat, & præcipue propter voluptates. Vnde & Luc. 15. dicitur de filio prodigo, quod dissipauit substantiam suam, luxuriose viuendo. Ergo videtur, quod prodigalitas magis opponatur temperantiæ, & insensibilitati, quam auaritiæ & liberalitati.

SED